

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Apostoli e  
cum fontibus primis

Christus Ihesus Petrum et Andream et alios  
per quos operatus est salutem in medio terre,  
non de foro Iustiniani,  
sed de simplicitate piscatoria legitur assumpsisse.  
Inflat enim sapientia huius mundi  
et legum uentosa loquacitas.

Elegit enim non reges,  
non senatores, non philosophos,  
sed  
plebeios, pauperes, indoctos, piscatores,

ineruditos liberalibus disciplinis,

non peritos grammatica,  
non armatos dyaletica, non rethorica inflatos.  
Piscatores Christus cum rethibus fidei

paucissimos misit, atque ita ex omni genere  
tam multos pisces et tanto mirabiliores  
quanto rariores eciam ipsos philosophos cepit.

Augustinus in sermone de apostolis.

Sane  
Christus Jesus Petrum, et Andream, et alios,  
per quos operatus est salutem in medio terrae,  
non de foro Justiniani,  
sed de simplicitate piscatoria legitur assumpsisse.  
Inflat enim sapientia hujus mundi,  
et legum ventosa loquacitas,  
nec plus sapere quam oportet sapere,  
sed sapere ad sobrietatem.

Petrus Blesensis, *Epistolae*, 38 (PL 207,  
col.118A).

Non elegit reges,  
aut senatores, aut philosophos,  
aut oratores. Immo uero elegit  
plebeios, pauperes, indoctos, piscatores.

Augustinus Hipponensis, *Tractatus contra  
paganos*, 60 (F. Dolbeau ed., *Nouveaux sermons  
d'Augustin IV*, 1996, p.138, ll.1460-1462).

Ineruditos liberalibus disciplinis  
et omnino,  
quantum ad istorum doctrinas adinet, inpolitos,  
non peritos grammatica,  
non armatos dialectica, non rethorica inflatos,  
piscatores Christus cum rethibus fidei  
ad mare huius saeculi  
paucissimos misit atque ita et ex omni genere  
tam multos pisces et tanto mirabiliores,  
quanto rariores, etiam ipsos philosophos cepit.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 22.5  
(CCSL 48, B. Dombart ed., p.810, ll.20-26).